

x Euseb. Hist. Eccles. l. 3. c. 10. y Hieron. de Scrip. Eccl. & lib. 2. contra Pelag. 2. Chrysol. hom. 2. in SS. Macchab.

Eusebius (x) & S. Hieronymus (y). S. Gregorius Nazianzenus Orat. de Macchab. S. Ambrosius lib. 2. de Vita beata cap. 10. 11. 12. & S. Chrysostomus in elogiis suis de Sancto sene Eleazaro; & septem fratribus Macchabæis non obscure ex eodem Josephi fonte hauserunt (z). Marius Victorinus Africanus, qui Romæ sub Constantio florebat, hunc eundem Librum carminibus adstrinxit; sed ille liberius aliquid quanto excurrans, plura de suo adjecit. Vide tom. 4. Bibliot. PP. pag. 297. &c. Ex his omnibus facile in eam sententiam descendimus, quartum Macchabæorum à Veteribus laudatum, ipsum esse Josephi Opus de Imperio rationis.

a Heb. 11. per totum. b Rom. 5. 15.

Author hujus Operis in sententiam Stoicorum descendisse visus est, apud quos mira de prerogativis virtutis humanæ, & rationis, qua solâ præstari omnia potuisse defendebant; sed hæc omnia in unam tantum fidem (a) Dei gratia fultam (b) quadrare, Religione Christianâ docente discimus; si quid enim boni supernaturalis, si quid sancti præstamus, id unice fidei, gratiæ & charitatis merito accepto referendum est; quibus amotis nunquam ed adniti possumus, ut Deo placeamus. Robur & virtutem Martyrum Macchabæorum potissimum fidei accepto referendam suadet Apostolus 11. 3. Per fidem vicevunt Regna &c. Aliud Stoicorum dogma, quod adoptasse Author videtur, æqualitas est criminum; ita enim loquentem inducit senem Eleazarum cap. 2. Sive in parvis, sive in magnis peraquè est peccavari. Dogma istud æquè & in veram Religionem, & in rationem pugnat. Insinuat alibi, & sine ambagibus, natorum animas è parentibus derivari (c), juxta satis receptam apud Veteres opinionem, nec satis è mentibus quorundam Patrum excusam, hodie tamen è Scholis prorsus eliminatam. Totam autem rem gestam constituit Jerosolymæ sub ipsis Antiochi oculis; quod non satis in secundo Macchabæorum exprimitur.

d Confer 2. Macc. 2. 3. 7. 8. cum c. 1. hujus Libri.

In eo tamen fidei secundi Macchabæorum aperte repugnat, quod missum à Seleuco Nicanore tradit Apollonium Præsidentem Syriæ, & Phœnicæ ad sacrum Æarium expilandum (d), cum non Apollonium habeat Textus Macchabæorum, sed Heliodorum; nec Seleucum Nicanorem sive Nicanorem primum inter Seleucidas, sed Seleucum Philopatorem, inter illos Reges septimum. Errat pariter intolerabilis (e), cum Antiochum Epiphanem Seleuci filium statuit, frater enim erat natu minor.

f 4. Macc. Præfat.

Indignam tanto Rege mentem Davidi imputat; quippe quem constituisse apud se dicit nullâ adactum necessitate, nunquam se situm, qua ditè excruciabatur, levaturum, nisi certi cujusdam fontis aquâ epotâ (f). Nihil tale in Libris Regum;

legimus enim ibidem (g), David siti adactum obiter tantum indicasse, gratum sibi futurum, si aquam è cisterna Bethel potare daretur; qua Regis voluntate intellectâ, tres viri fortissimi apertâ sibi per media Philistæorum castra viâ haustam lympham ad Regem detulerunt. Peccat etiam in ea referenda historia Author, cum duos tantum non tres viros fortissimos notat; cum etiam aquam illam diutius conquississe viros illos affirmat; ac tandem in mediis hostium castris inventisse testatur.

g 2. Reg. 23. 14. 15.

h 4. Macc. Præfat.

Confundit etiam alio in loco (h) annum sabbaticum cum anno Jubilæi. Errat, cum Antiochum fuisse Judæis post occisum Eleazarum septemque fratres (i), & cum susceptam ab eo Principem in Perfidem expeditionem dicit (k); fidem superat ingens pecuniarum summa à Jaseone ad Seleucum missa, quam enumerat ad 3660. talentorum, monetæ nostratibus 17813904. librarum circiter; unde nantantum pecuniæ Jaseoni? Patrem (l) septem fratrum Macchabæorum apud illum quidem, non autem in Libris Canonicis legas; sicut & septimi fratris supplicium matrisque ille solus refert. Frustrâ apud Moysen quæras, quæ de Angelo exterminatore Israelitarum castra igne absumpturo (m), nisi opportunè intercessisset cum thymiamate Aaron, narrat (n). Eadem insinuas videtur Apostolus 1. Cor. 10. 10. Nihil hic ego de stilo turgido, & longè petitis figuris affectato; quorum tedium & in orationibus prolixitatem nemo ex Lectoris non sentiet. Hæc facile vitia in causa fuerunt, cur ad Apocrypha Opus rejiceretur. Josephum illum Authorem fuisse vix in animum induxerim; neque enim ineptis hisce & erroribus par est Scriptor insignis (o); qui in alienis Scriptis laudandis minime parcus, de Scripto isto ne verbum quidem habet. Stilus & cætera omnia ejusdem Operis aliena sunt à tanto Historico; ut illius nomine famam Operi suo conciliare voluisse Author videatur.

i 4. Macc. cap. 16.

k 4. Macc. ibid.

l 4. Macc. cap. ult.

m 4. Macc. 4. n Num. 16. 46.

o Grotius in Luc. 16. 19. abjudicat hoc Opus à Josepho Historico.

a 2. Timot. 3. 16.

b August. Præfat. in Psal. Vide & Ambros. Præfat. in Psal. n. 4. & Basil. item Præfat. in Psal. Alban. Ep. ad Marcellin.



IN UNIVERSUM PSALMORUM LIBRUM PROLEGOMENON.

I.

Elogium Psalmorum, præstantia, & utilitas.

U Niverfa licet Scriptura Divinitus inspirata utilis sit ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia (a); plus tamen aliquid contulisse Deus benedictionis & virtutis Divinæ in Psalmos visus est. Sacer iste Liber, tanquam uberrius vite fons, salutare ad omnia vite commoda aquas largus effundit. Totus veluti summan omnium, quæ in Scriptura continentur, utilium complexitur: Psalmorum Liber quæcumque utilia sunt ex omnibus, continet, ait S. Augustinus (b). Veteres in illo historie ab ipso Mundi exordio, Leges à Deo hominibus datæ, exempla Sanctissimorum Patriarcharum, de adventu Messie, vocatione Gentium, Ecclesiæ constitutione oracula; uno verbo communis quidam doctrina thesaurus est, apertè singulis necessaria subministrans, ait idem Pater ibidem. Dolore opprimeris? relevat; perplexitatibus angere? dubitationes omnes subducit. Vulneratè menti & altè licet fauciatè pharmacum est, inveteratis quibusque ulceribus sanandis presentissimum. In tedio, in dejectione animi, in metu omne ab illo solatium, robur omne & virtus suaviter blandè que suppeditantur. Id enim Divino Providentiæ consilio factum est, ut dulci eloquentiæ & poësis sapore condite veritates traderentur, quod delicias simul cum pharmaco potarent Lectores; instar Medici sapientissimi, qui utili dulcia miscens, crateris lymbum, quo remedium porrigit, melle circumlinat.

radiantem, veritatum fontem, vas celestis liquoris, hortum delicatissimorum fructuum.

Lex docet, ait S. Ambrosius Præfat. in Psal. historia instruit, futura referat, prophetia impii redarguuntur, moralis suadet; In Libro Psalmorum profectus est omnium, & medicina quædam salutis humanæ. Jure meritoque appellaretur Dei laus, plebis laudatio, sermo universorum, vox Ecclesiæ, fidei canora confessio. In Psalmis, ait idem Sanctus, omnia simul Religionis meæ testimonia percurro, omnia Prophetarum oracula; per singula discuro adventus & resurrectionis Jesu Christi argumenta. Vitare peccata instruo, nec penitentiam detrectare. Tanti Principis unâ simul & vatis exemplo, ne in crimina proruum, retineor; ad criminis jam admissi confessionem urgeor, & lapsus jam in peccati barathrum releovor.

Præter hæc suavia cordium blandimenta, quibus illè tantum animæ tanguntur, quæ ædificationem, & Religionis pabulum in Psalmis quærunt; alia sunt etiam ad eorum gustum, qui amœnioribus & elegantioribus delectantur. Inter sapientissimos æquè ac doctissimos Scriptores satis convenit, ingenuæ & minime fucate eloquentiæ exemplar in Psalmis præferri; neque enim grandia desunt & sublimia, non pathetica & blanda; non delicata & simul expressivè loquendi phrases; omnia argumento apta, & perfecte totius generis eloquentiæ exemplaria. In moralibus verò disciplinis tradendis quid justius, quid magis purum absolutumque? Tenerimè pietatis sensus delicatos, & verè divinos inspirant; abdita quæque & maximi momenti Religionis mysteria pandunt.

Tandem, ut verbis S. Ambrosii utar, certat in Psalmo doctrina cum gratia; simul cantatur ad delectationem, discitur ad eruditionem. Jam inde à Davidis ad nostram usque ætatem Psalmorum lectio in deliciis piarum animarum habetur; insonant quodidie Psalmorum cantilenis Domini Tempia; nec ab exordio Religionis ad nostra usque tempora adhuc cessatur. Nullum aliud orationum exemplar perfectius posteris suis tradendum sibi Apostoli

c Vide Chrysol. in Psal. 137. & August. Præfat. in Psal. d Cassiod. Præfat. in Psal. sparsum.

Omni hominum ætati, omnium apta statui, & conditionibus remedia exhibentur in Psalmis. Lapideâ firmitate contumacia corda tanguntur, & in fluentia lacrymarum Psalmorum lectione resolvuntur. Si quando cantandos sive meditatione versandos Psalmos suscipimus, adfiscere nobis Angelorum choris videmur, ait S. Chrysostomus (c). Nulla Libri utilior lectio, nulla omnibus aptior. In hoc Libro, ait Cassiodorus (d), spiritualis Bibliotheca instructa est. Additque mel esse dulcè, vividum lumen, patentem & inexhaustum thesaurum, Librum superno lumine

Disert. Calmet. Tom. I.

Y y

li reputant; nihil ad instructionem solidius proposuerunt, quam quod ipse Dei Spiritus e corde Regis omnium sanctissimi expresserat. In illud autem consilium eò libentius venerunt, quòd in uno hoc Libro singulis apta personis & statibus, que maximè desiderari possunt, colliguntur. Sive etenim Dei summi Iudicis misericordia imploranda, sive laudes in maiestatem & potentiam Dei congerendæ, sive gratiarum actiones solemnes præstandæ, sive Dei auxilium in bello vel in morbo atque calamitate implorandum; sive instruendus deducendusve ad fidem, corrigendus reprehendusque populus; tot simul omnibus unus Psalmorum Liber sufficit.

Hinc obsequium Fidelium in Divina illa cantica, ardor, quo ad Sanctam illud studium ferebantur. Lex erat singulis Episcopis Ecclesiasticis & Monachis propostita, ut Psalmos memoriter addicerent (e); plures etiam vel Laici suppetebant, qui Psalmos in Ecclesiis, in ædibus, in itinere, operi incumbentes, in mensa, in agrò cantarent (f). Nec foemine, quamquam altoqui ne in Ecclesiis loquerentur ab Apostolo prohibita, ab eo privilegio excluderentur, uti in cantandis Psalmis suas virorum vocibus miscerent. Cœpta dies & absoluta, & nondum à Psalmorum recitatione cessatum. Cum Psalmus legitur, ait S. Ambrosius (g), ipse sibi effector est silentii. Ignoraverint licet Fideles e populo vel ipsa quandoque Sacrorum quorundam Librorum nomina, qui tamen Psalmos vel aliquos saltem memoriter non recitaret, nemo erat, ait S. Chrysostomus in Isaia cap. 5. & Theodoretus Prolog. in Psal. Manè surgentes cantabant Psalmum 62. Deus Deus meus, ad te de luce &c. vesperis Psal. 140. Domine clamavi alte, exaudi me &c. quibus proinde Psalmis inditum nomen, Psalmi quotidiani.

Eusebius Præfat. in Psal. & Theodoretus item Præfat. in Psal. Psalterium tanquam primum post Mosaicis inspiratum Librum, ordine temporum servato, habuerunt; ex quo divisum in quinque partes Librum, veluti novum Pentateuchum, aliqui suspicantur. Quæ tamen in eo Libro exponitur doctrina multò, quam scientia Legislatoris Hebraici, sublimior est. Ostendit enim David, ait Eusebius, nulla esse sacrificia, novamque colendi Dei per laudes & cantica Religionem inducit. Ex eo tandem Libro crebriora pro astruenda Religione Christianæ veritate argumenta Jesus Christus, & Apostoli deduxerunt.

## II.

## Nomen Psalterii, &amp; divisio. Ordo Psalmorum inter se.

Liber Psalmorum inscribitur in Hebræo *Sepher tehillim*, Liber hymnorum vel laudum, quòd scilicet sanior eorum pars & augustior laudes Dei prosequatur; augustinus, inquam, ceteri enim querelas

ærumnosi vel pœnitentis vel intimo dolore sauciati animi exprimentes Psalmi, multò prioribus illis concedunt. Apud Græcos est *Psalterium* seu *Liber Psalmorum*; quòd etiam in nostris Bibliis Latinis nomen servatum est. Porro *Psalterium* musicum est instrumentum, alibi à nobis describendum; ejus nominis etymon, sicut & *Psalmus*, deducitur ex Græco *psallos*, instrumentis cano. In Evangelio sub hoc titulo laudatur (a): *Liber Psalmorum* sive *Propheta* (b). David enim Author Psalmorum potissimus, Propheta ob excellentiam appellatur.

Totum Psalterium in quinque partes distribui, recepta est apud Hebræos consuetudo; quòd ab antiqua traditione tenere illos ex facta illius apud PP. mentione constat (c). Probat S. Gregorius Nyssenus Tract. 1. in Psal. cap. 5. & vetustissimam agnoscit S. Epiphanius De mensuris num. 5. nec rejicit Eusebius, S. Ambrosius, & Pseudo-Hieronymus Comment. in Psal. Servari illam in Originali Hebræo & optimis Græcis Exemplaribus testatur Eusebius; & S. Ambrosius refutandam censet illorum sententiam, qui divisionem hanc reprobat, eo quòd in Scriptura de Psalterio veluti de Libro singulari agatur. Sed eà potissimum ratione reprobendam diducant S. Hilarius Præfat. in Psal. genuinus S. Hieronymus (d), & S. Augustinus (e); nec inter se minùs Interpretes nostrates committuntur; laudant enim alii, & tanquam ab ipsis Psalmorum Collectoribus inductam commendant (f); alii recentiorum esse ætate Apostolorum (g), nulliusque propterea autoritatis contendunt. Res est tamen nullius momenti, cum omnes ad arbitrium inveciam, nec ex ordine temporum rerumve connexionem petitam conveniant. Sola est enim Lectorum ratio habita, ut scilicet longioris Libri tædio facta divisione levaretur.

Quòd autem maximè insinuare posset, divisionem illam ab ipsis Psalmorum Collectoribus inductam fuisse, illud est, nimirum singulos Libros eadem conclusione verborum terminari, quæ de industria adjecta videretur vel ab Esdra, vel à Patribus Magni Synedrui, quorum autoritate certus Librorum Canonice numerus definitus est. In hanc sententiam convenit Muis ad Psal. 11. alique nonnulli. Ceterum in recensione omnium simul Sacrorum Librorum tum apud Hebræos, cum apud Christianos, Psalterium tanquam unicum Librum, etiam in quinque dispartitur partes habitum esse constat.

Quicumque ex Patribus Latinis hanc Psalterii in quinque Libros divisionem rejiciendam censuerunt, aliam sibi invehendam non minùs ac priorem illam arbitriam duxerunt. Totum illi Librum in tres partes, singulis Psalmorum quinquagenis constantes; distinguunt; quam Psalterii divisionem non oscitanter, sed mature & consultò à Septuaginta inveciam S. Hilarius autumavit; namque, ait, in singulis quinquagenis, Sanctissimis illis viris consilium fuit, ut ordinem à nobis in-

a Luc. 20. 40.  
b Matt. 23. 35.  
Quod dictum erat per Prophetam. Et 27. 35. Ut impleatur quod dictum est per Prophetam.  
c Euseb. Hieron. Hilarius. Ambrosius in Psal. 9. Item Euseb. in argumento Psal. & in Psal. 71. Cassiodorus. Præfat. in Psal. c. 2. Hieron. ad Marcel. & in Prologo Galeato, & Epistol. ad Cyprianum.  
d Hieronymus. Præfat. in Psal. ad Sophron. Vide & ad Cyprianum.  
e Augustinus. in Psal. 150. t. 4. par. 2. p. 1604. Vide & Cassiodorus.  
f Muis, Genes. Syriac. Arab. alii passim, maximè qui Hebræo Textu addidit sunt.  
g Natal. Alexand. Dissert. 24. Ferrandus. Præfat. c. 9. Dupin Præfat. u. 21.

h Hilarius. Præfat. in Psal. n. 8. 9. 10.

i Gregorius Nyssenus. in Psal. Tract. 1. cap. 5.  
k Genebr. in Psal. 40. 15.

l Hieronymus. Epistol. ad Sophron. seu Præfat. in Psalmodios.

m Ferrandus. Præfat. in Psal. cap. 9. p. 88.

assequutione Beatitudinis & in progressu virtutum tenendum demonstrarent: *Ex ratione ac numero beate illius nostræ expectationis* (h). Plura in eam distributionem ternariam observat, quæ ad gustum alterius ætatis, non quidem nostræ congruerent; nec equidem solida videntur & gravia. Mysterium in ordine Psalmorum latens [latere enim aliquid arbitrat] nunquam assequi valuisse se S. Augustinus in Psal. 150. profiteretur; suspicari autem non ineptè; tres illas quinquagenas ad vocationem, justificationem, glorificationem Justorum pertinere; priora enim quinquagena, ait, ad penitentiam hortantur; altera proximè succedentia misericordiam pariter, & judicium exhibent; postrema Dei laudes in Sanctis suis prosequuntur. Priorum Psalmos triste plerumque argumentum tractare animadvertit S. Chrysostomus in Psal. 51. postremos verò solatii & gaudii plena argumenta versare.

Verum nullus erit arbitrariis animadversionibus modus, quæcumque tandem divisio inducatur. S. Gregorius Nyssenus (i) moralia plura in divisione Psalterii in quinque Libros prosequitur. Aliter res Genebrardo visa (k), cui prior Psalterii pars ex quadragenis constans circa tristiora versatur, omnesque illos Psalmos Davidi tribuendos censet; succedit altera pars 31. Psalmos latiores complectens & à Core potissimum, quamquam & ab aliis Authoribus nonnullis, scriptos. Tertia, Psalmorum portio ex 17. constans ingenii Asaph ut plurimum factus, ingratum habet argumentum; gratius est quòd Psalmi 17. quartam constituentes partem, prosequuntur; pluribus illa Scripturibus debetur. Quinta pars, quam totam didicisse Davidem credit, tristitia quandoque & lata pariter exhibet. Huic divisioni exactior altera desideraretur. Primus Liber juxta Hebræos clauditur in Psalmo apud nos 40. secundus in 71. tertius in 88. quartus in 105. postremus cum Psalterio terminatur. Quatuor prioribus Libris hæc in Hebræo clausula inscribitur: *Amen, amen*; in Latino: *Fiat, fiat*. Operæ pretium est animadvertere hanc in quinque Libros divisionem apud Hebræos diutius in incerto vagatam; ut S. Hieronymi ætate adhuc essent inter Judæos, à quibus prorsus rejiceretur (l): *Nos, ait ille, Hebræorum autoritatem sequuti & maximè Apostolorum unum asserimus Psalmorum Volumen*. Kimchi ætate, duodecimo nempe sæculo, res adhuc sub Judice pendebat; quin recentiorum Hebraicæ Codicem elegantissimè scriptum apud D. Præfidentem Mesme servari tradit D. Ferrandus (m), in quo ne vestigium quidem hujus divisionis apparet. Latuisse illam Origenem suspicor, cujus fragmentum in fronte secundi Psalmi exscriptum, quo in loco asserit, in Hebraicis Bibliis nullam Psalmorum divisionem, quin nec numeralem notam aliquam, puta 1. 2. 3. &c. inscribi.

Nec minus est inter Judæos & Christianos dissidium in secundariis eorundem Psalmorum divisionibus; licet enim utri-

que in 150. distribuunt, non tamen in dividendi ratione conveniunt. Psalmum 9. in geminos dispartunt Hebræi. Psalmum decimum à vers. 22. *Ut quid Domine recessisti longè &c.* exordiuntur; exinde verò numerus Psalmorum à nostro & Græcorum aberrans, unitate præcedit: qui illis est e. g. Psalmus 20. nobis est 19. Psalmum 113. *In exitu Israel de Egypto &c.* in duos distinguunt, ad illa verba Psalmum 114. exordientes: *Non nobis Domine, non nobis &c.* Hinc Psalmo 114. Græcorum & Latinorum 116. Hebræorum respondet. Proximè ad nostrum ordinem accedunt, cum duos Psalmos 114. *Dilexi, quoniam exaudiet, & 115. Credidi propter quod &c.* in unum conficiantur. Tandem uno tantum numero à nostro ordine discrepantes, junctis pariter in unum duobus Psalmis 146. *Laudate Dominum quoniam bonus & 147. Lauda Jerusalem Dominum &c.* nobiscum deinceps congruunt.

Hunc in Versificationibus suis ex Hebræo ordinem secuti Protestantæ, non alterum quam Judæorum in suis Operibus laudant. Distributionem Septuaginta Catholici præferunt; quamquam vetera Græca & Latina Exemplaria in divisione duorum priorum Psalmorum nonnihil discrepant; alia enim distinguunt, alia jungunt. Videtur quæ à nobis ante secundum Psalmum disputantur. Porro hanc Judæorum in divisione Psalmorum rationem neque autoritatis habere plurimum nec vetustatis ex eo potissimum deducitur, quòd Septuaginta Interpretes laterit; & cum vacuè præjudiciis mente Psalmi ipsi sedulo in examen revocantur, ingenue fatendum est, neutram divisionem, sive quæ apud Septuaginta, sive quæ apud Hebræos, exactissimam apparere. Jurè illi quidem e. g. Psalmum 9. in duos post vers. 22. distinguunt, cum novum exinde argumentum succedat, nullo connexionis vinculo ad primum referendum; sed minùs illi rem assecuti videntur in divisione Psalmi 113. ut in Commentariis demonstravimus.

Accidit non rarò, ut unus Psalmi contextus in tres distribueretur, quòd e. g. Alleluja, vel similis aliqua clausula interdum recurreret. Sæpè dividendo in plures partes Psalmo unica fuit ratio, quòd in priori ejus parte sermo ad Deum pro ejus ope in tribulatione impetrandâ dirigeretur; ac deinde veluti de impetrato ejus auxilio sermo esset, & tandem eà de re gratiæ agerentur; tot simul diversa argumenta, timoris, doloris, spei, gaudii, actionis gratiarum in uno eodemque Psalmo jungere incongruum visum est. Sed quòd illi incongruum, id omnibus Authoribus Psalmorum familiarissimum est, quemadmodum ex pluribus Psalmis plura simul tristitia, ingrata &c. continentibus intelligimus. Consule Psal. 3. & 6. & 17. & 21. & 53. ac nostram Dissertationem de Authoribus Psalmorum, sicut & Præfationem in Psal.

Quæ de præpostera Psalmorum divisione affirmavimus, nonnullis adductis exemplis demonstranda sunt. Psalmi 11. & 12. Y y 2 & 13.